Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31247
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

tandem putari Sed et diuinissimam animam illam ocu-
lis conspexisti mentalibus omnis amaritudinis felle
repletam Nunc spiritu frementem nunc pauentem nunc
tedentem nunc agonisantem nunc anxietatem nunc tur-
batam nunc mestissimam partim propter corporee pas-
sionis viuacissimum sensum Partim propter diuini a-
moris pro peccatorum subtracti feruentissimum zelum par-
propter effusum in miseros misericordie affectum partim
propter compassionem erga matrem dulcissimam et infixum
in cordis intima telum cum te coram posita pijs conspi-
ceret oculis et blandis alloquetur verbis Mulier ecce fi-
lius tuus inquiens ut tuam consolaretur inter angus-
tias animam quam compassionis sue gladio am-
plius quam si proprio pateris in corpore sciebat esse transfixam

Jhesus sol morte pallidus

Deniqz cum agnus mitissimus qui est
uerus sol iusticie trium horarum spacio
pependisset in cruce Et eodem tempore
sol iste visibilis fratri suo compaciens
luas sue radios occultasset Jam omni-
bus consummatis fons ipse vite hora nona siccatur.
dum deus et homo Jhesus cum clamore ualido et lacrimis
ad miseracionis manifestandum affectum et diuinitatis
declarandam potenciam spiritum in manus patris dum comme-
dans expirauit Tunc uelum templi scissum est a su-
mo usqz deorsum et terra mota est et petre scisse sunt Tunc
ipse centurio deum uerum ipsum esse cognouit Tunc
qui ad spectaculum insultatum uenerant reuertebantur
percucientes pectora sua Tunc formosus pre filijs hominum
caligantibus oculis et pallentibus genis pre filijs hominum
deformis apparuit factus holocaustum suauis odoris
in conspectu patris glorie ut auerteret iram suam a nobis.
Respice igitur domine sancte pater de sanctuario tuo et
de excelso celorum habitaculo Respice domine in faciem
Christi tui Respice hanc sacrosanctam hostiam quam tibi
affert pontifex noster pro peccatis nostris et esto placabilis